DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA
De
SPASMIS,
Quam
In Alma Regia & Electorali Fridericiana
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI, ET ELECTORATUS BRANDENBURGENSIS HÆREDE &c. &c.
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU
PRÆSIDE
DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR. ACAD. NAT. CURIOS. COLLEG.
PATRONO AC PROMOTORE SUO ÆTERNUM COLENDO.
PRO DOCTORIS GRADU
Summos in Arte MEDICA Honores, Iuraque & Privilegia legitimè capeſſendi,
ad Diem Septembr. Anno MDCCII.
Horis locoque ſolitis
Publicæ Eruditorum Diſquiſitioni exponit

JOHANNES PETRUS PAULI,
Gorlic. Luſat.

RECUSA, HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



PROOEMIUM.



N corpore adhuc ſano, cum Motus Tonicus partium poroſarum, ſemper liber & æqualis requiratur; quo ſangvinis non ſolùm tranſitus promptus per has partes, ſed etiam regreſſus ejus in venas legitime ſuccedat; Fieri hinc non poteſt, quin hujus motus à ſuo juſto tramite receſſus, vel indicet atque prodat, vel etiam poſt ſe trahat, ſpecialem aliquam à ſano ſtatu atque motuum ſucceſſu deviantem, & quocunq; ſenſu præternaturalem corporis conſtitutionem. Cum enim motus, corpori alias conſueti, duplici modo ab exquiſito ſuo ſucceſſu deflectant; Dum vel active, ad aliquid extra ordinem corpori obtruſum emovendum, neceſſario etiam extra ordinem intenduntur, & varie, conveniente tamen cum illo ſcopo directione atque moderamine, extra ordinem reliqvum, inſtruuntur atque adminiſtrantur: Vel paſſive, à vitiis materialibus rerum, quas movere debebant, variè intenduntur, aut alio detorquentur atque reſtringuntur: Ita tonici motus quoque duplices tales anomaliæ utique occurrunt, quatenus vel niſu quodam majo-

re, intenditur active, & qualicunque justa, non raro tamen etiam aberrante neque satis scita & recta deliberata proportione: Vel passivè impeditur, quo minus celebrari possit, v. g. infarctibus & incarceratione materiæ in poros partis rigida, tensa, imo subinde densa, indurata, siccescente, quod in tumoribus scirrhosis quotidianum est.

Sicut autem activæ illæ motuum talium intensiones (quibus illi, equidem præter & extra ordinem absolute sani status, intenduntur, non verò, passive, tumultuarie, sine ullo utili, sed potius noxio effectu atque eventu, à directa activa causæ morbidæ efficacia, fiunt;) Sicut inquam tales intensiones, earumque pro conservatione & sublevatione corporis, utiles intentiones, imò scitæ, & mechanico-organicæ rectissimè proportionatæ inventiones, in pathologia verè Medica, adeoque directione Therapeutica, ingentem considerationem merentur, & nulla major confusio oriri potest, quam si tales actus atque motus à causis quantumcunque activis, & ad finem œconomiæ corporeæ utilem collineantibus dependentes, eoque ipso intuitu potius juvandi, sublevandi, in debitum ordinem, temperiem, successum, modum, redigendi, perversa interpretatione pro malis morbi cujusdam satellitibus, aut pedissequis agnoscuntur: Ita ipsorum quoque illorum talium motuum meritissimo jure tanto major habenda est ratio atque consideratio, qui quocunque errore à planiore via deflectentes, harum rerum vel minus curiosis, vel minus peritis, tanto facilius imponunt: ut, cum nullum directum, nedum scitissimum (qualem ab errabunda anima rationali, nescio quam rationaliter, rigidè exigunt) utilem

lem illorum effectum comprehendere possunt, universos hosce motus morbi ipsius familiæ accensere, & absolutarum passionum nota afficere non vereantur.

Exemplar huius rei, Spasmum cum suis speciebus; propterea specimine Inaugurali evolvendum & excutiendum sumere nobis placuit; Ubi speramus deducere, quod hi, a solita motuum via ac tenore deflectentes motus, non ita absolute nudus morbus, aut morbi cujuscunque directus effectus, seu verum atque nudum symptoma, existant: Sed potius, & à priori, cum causis quas subsequuntur, & interdum à posteriori, cum effectibus quos edunt, vel ad minimum inchoant, talem proportionem habeant & exhibeant, ut longe verisimilius inde compareat, quod activa quadam intentione suscepti, quam nudo passivo eventu consecuti sint.

Divinam Benignitatem oramus humillime, velit nobis sua gratia subvenire, ut vera ac utilia, & solide perspicere, & perspicue tradere atque stabilire valeamus.

CAPUT. I.

Descriptio & Historia Spasmi.

NOmen *Spasmi*, quem tractandum nobis sumsimus, *Græcum* est; derivatum a verbo σπᾶν, trahere, contrahere: Cui Germanorum spannen, non magis sono, quam præcipuo significationis sensu, accedit, *Latini* interpretes vulgò vertunt vocem spasmi, per vocabulum *Convulsionis*; Sed reverà perperam, ambiguo, imò *confuso*, sensu. Siquidem *vellere*, impetuosum quendam & repentinũ motum, justa vocis acceptione, designat; Tanto magis vero *Convulsionis* vox, & *convellere*, & impetum similem, &

 effe-

effectum omnino majorem, vulgò exprimit. Unde quidem violentis Motuum Tonicorum exacerbationibus & agitationibus, hæc vocabula quadrant; *Spasmis* vero strictè dictis minus certè respondent. Unde magis forte quadraret *tractionis, rigoris, tensionis* &c. vocabulum. Sed omnium sane optime egisse videntur majores nostri, qui potius ipsum *græcum* vocabulum retinendo, indigitare voluerunt, quod illo istam tantum rem designatam velint, quæ Græcis etiam hoc nomine notetur: adeoque potius communi nomine contenti sint, quam in linguæ penuria, vel novum *primitivum* fingant, (In qua re omnium propemodum nationum, præter forte Gallos, miraculo similis est superstitio) vel *derivativo* utantur, *ambiguo*, & res minus exprimente, sed potius cum aliis *confundente*. *Germanis* vero nostris, primitivo utique nomine, malum nempe ab antiquissimis temporibus familiariter notum, *spasmus* generalior, seu variis corporis partibus indifferenter & æqualiter familiaris, appellatur: **der Krampff** Vel etiam ubi paulo speciali ore, & minus adeo solito more atque modo sese exerit, **Glieder spannen.**

Imo vero in *speciebus* Spasmi, placuit etiam ipsis *Græcis* appellatio, sensibilibus hujus mali circumstantiis convenientior; Siquidem dicta hæc symptomata spastica specialia, velut universim nominibus *tensiones* denotantibus, ἀπὸ τῦ τείνειν derivatis, designant. Ubi quidem, ne in nominibus percensendis nimio prolixiores videamur, missis his, potius ad differentias seu reales distinctiones aut divisiones specierum spasmi variarum pergimus.

Cum autem titulus Capitis indigitet, imò veluti promittat, *historiam* Spasmorum; Sistemus proinde ante omnia Spasmi *in genere* historiam; i. e. effectus, quos ille in corpus edit. Consistit ita Spasmus in eo, quod in uno vel altero membro corporis, præcipue tamen *artubus*, musculus, aut musculi quidam, ita rigidè *attrahantur* atque *tendantur*, ut non solum illa particularia membra, quibus mo-

vendis musculi tales inserviunt, una ita in *rigido situ* detineantur, aut lento quodam successu adducantur: Sed etiam in musculo immediatè ita affecto, tensa quædam atque *rigida durities* percipiatur: Et *sensus* subinde exquisitus, veluti *rupturi* atque divulsuri doloris, patientem angat, ut sæpe numero vix ab ejulatu, imo clamore, sibi temperare possint. Resoluitur autem *simplex* talis Spasmus, ordinarie *brevi* tempore; accedente tamen ut plurimum patientis nisu, membrum ita affectum, vel alterius *liberi* membri adminiculo, aliter movendi, siue extensione, sive concussione & agitatione, hoc fiat.

Cap. II.
Species Spasmi.

S*Pecies* diversæ spasmi sunt, *Tetanus*, *Emprosthotonus*, & *Opisthotonus*. Ad quas quidem, alii affectus similiter Spastici commodè referri possunt; ut *Catalepsi*, *Incubus*, *Asthma convulsivum*, Spasmi *Chiragrici*, *&* *Podagrici*: In quales nimirum hæc pathemata, post *fibrillares* suas sensibilissimas micationes, veluti terminari consveverunt: Spasmus *Cynicus*, & *Sardonius*, *Priapiismus*.

Horum ut pariter historicam delineationem exhibeamus; absolvuntur omnes & singuli, *rigida* quadam *tensione*, per maximam partem externi corporis diffusa. Sunt quidem communissime velut interscentia quædam ipsarum *Convulsionum*; Occurrunt autem etiam aliquando *extra*, vel ad minimum *ante*, veras Convulsiones: Quamvis negandum non sit, quod fere rarius hoc fiat.

Tetano nempe, obrigescit corpus universum in situ *recto*; Ita ut velut immotum jaceat: Nostrates dicunt: Es starre hinweg wie ein Scheit Holtz, sey gantz steiff. *Emprosthotonus* *antrorsum* incurvat violenter corpus ut genua capiti adducat: bieget den Leib zusammen wie ein Reiff. *Opisthotonus*, *retrorsum* incurvat corpus; qvod nostrates describunt: Es werfe

se ihn in die Höhe, hoch in die Höhe, daß ein Knabe, oder ein starcker Kerl unter ihme durchkriechen könte.

Catalepsis, affectus oppido *rarissimus*, in eo versatur, ut corpus universum, derepente, in eo *situ*, in quo affectus illud prehendit, firmissimè obrigescat, & gestus *oris*, *oculorum*, *ac membrorum* eosdem servet, quos non solum facies, sed reliqua quoque membra & artus, ipso coorientis affectus momento, gesserant. Evenit vix ab ulla alia causa, quam à repentino *grauissimo terrore*, aut *profundissima cogitatione*. Unde, a terrore *tonitruum* aliquando obtigit; A cogitationibus quoqe defixis, homini *amanti amenti* evenisse compertum est. Sicuti sunt, qui de Socrate hoc memoriæ tradunt, quod interdum, vel in publico, *stans* quoque, ita in illo *gestu* diriguerit, ut per viginti quatuor horas, non solum immotus, sed etiam in uno eodemque gestu, nihil mutatus, perstiterit. Qualia quidem exempla nostris temporibus vix nota sunt.

Incubus, est *thoracis* Spasmus, respirationem valde laboriosam reddens. Et ferè totius corporis motum tantisper sufflaminans, collecto veluti circa pectus seu thoracem motus vigore, ut hinc reliquis membris decedat. Exsolvitur tamen statim, simul ac unum aliquod membrum, collecto nisu, ad motum denique concitatur: Nisi quod notabilis lassitudo per universum corpus aliquamdiu postea remaneat atque sentiatur.

Asthma Convulsivum differt ab *Incubo*, in his: Cum *Incubus*, absolute, *dormientibus* eveniat, *asthma* hoc vix nisi *vigilantibus* obtingat. Deinde *Incubus* plane *transitorius* est, aut solvitur ad minimum voluntario motu aliarum corporis partium, quæ sub ipso, absolutè unà, motus impotentia comprehensæ sunt: E contra *asthma convulsivum*, salvis omnino reliqui corporis motibus, occupat tantum *thoracem*: Nec etiam tam vehementer respirationem cohibet, ut vocem ipsam claram supprimat, Asthma hoc, uti facit *Incubus*: *Durat* autem velut ordinariè atque communissimè longè pertinaciùs per ali-

aliquot horas, revertitur, per vices, interdum *incertis*, frequentisſimè *ſtatis intervallis* atque paroxyſmis: Imò verò Aſthma convulſivum ſerium, & non tam manifeſtiſſime directè ſymptomaticum, quam magis evidenter idiopathicum, *periculoſum*, ancipitis, & ferè *acuti* eventus deprehenditur, quorum nihil in *Incubo* contingit.

Conſtringit autem *Aſthma Convulſivum* imprimis reſpirandi facultatem, ut *laborioſo*, & ſubinde quoque *brevi* motu, thorax attolli poſſit; licet communiter non æque alicujus reniſus, vel impedimenti in ipſis *pulmonibus*, compareant indicia. Magis verò ſenſibilia communiter ſunt, *febrilium* moliminum, ſubinde non valdè lenta vel obſcura, machinamenta.

Cynicus Spasmus, *oris* ſive *rictus* quadam torſione atque tractione, abſolvitur, & durabili quidem iſta, per plures horas continuante: Eventu communiter periculoſiſſimo, & vix non funeſto: Siquidem vel in *apoplecticos*, vel *convulſivos*, vel utrosque *conjunctim*, exitus terminatur. Eadem eſt ratio (niſi potius eadem res eſt) *Riſus Sardonii*; Nempe *ſpaſtica* talis ſpecialis diſtorſio oris: Niſi differentiam faciat, quod Spaſmus *Cynicus* non æque, riſus ſeu Spaſmus *Sardonius* autem, velut abſolutè, *cum delirio* conjungatur.

Priapiſmus, graviſſimam, & anxio quoque dolore ſtipatam, membri virilis, non tam erectionem, quam violentam *tenſionem* denotat; Quo ipſo differt à *Satyriaſi*, quæ magis conſiſtit in procaci atque frivola, ſed tamen intra terminos ordinarios deinde manente, membri hujus *erectione*, ad leves phantaſias, & objecta his qualemcunque occaſionem præbentia.

In *Colica* quoque, præcipue *flatulenta*, longe frequentisſime pertinacem *ſpaſticam* tractionem atque tenſionem inteſtini coli, ſuper *flatum* in eo expanſum, ſubeſſe, confirmant non ſolùm progreſſus illi flatulenti, ubi *bombi* tales, ex uno clauſtro in aliud ſpatium tandem erumpentes, *tundentem* talem impetum formant: Sed præſto ſunt etiam *obſervationes*, in ipſis

 cada-

cadaveribus repertæ talis constitutionis, ubi pars intestini flatu enormiter *distentâ*, hic autem superius & inferius, pertinacissima intestini strictura inclusus fuit, ut omnem transitum, vel aëreo tali halitui sufficientem, denegaret.

Chiragricorum & *Podagricorum* Spasmi, fiunt imprimis conspicui, non solum sub ipso *dolore*, sed imprimis ferè illo rursus velut obrigescente, & in stuporem membri transeunte.

Exhibet sese ipsis maximè oculis & reliquo etiam sensui tactus, ipsorum patientium. *Visu* enim conspicitur non solum membrum sic affectum, velut emaciatum atque tabidum; sed ipsæ quoque *articulationes*, conspiciuntur atque sentiuntur ita *rigidè digiti* in curvitatem uncinatam *contracti*, *manus* ipsæ *pronæ*, & in hoc situ ita obstinatè tensæ ac detentæ, ut levissimam *flexionem* propriam, non exerant; alia verò, vel aliena manu perpetrandam, præ immani veluti ruptorii doloris sensu, & ferè reviviscente micante illo podagrico cruciatu, non tolerent aut permittant. Est hæc *spastica rigida* compressio atque tractio, præcipuè procerioribus, *cholerico sangvinei*, aut *sangvineo melancholici* habitus patientibus, familiaris. Cum *spongiosioribus* frequentius eveniant *tumores* sub hisce pathematibus, cum *stupore*.

Tympanidem Spasmis accensere nos quidem serio dubitamus; Siquidem in omnib9 affectibus *flatulentis* potiùs labefactationem atque *remissionem*, quam rigidam *intensionem toni* seu roboris talium partium, quæ flatibus distendentibus ita locum præbent, subesse, justa ut putamus subsumptione, colligimus & agnoscimus.

In ipsa quoque *Cardiaca*, dem Hertz-gespan, non tam *tensionem* partis, à proprio ejus motu aberrante, quod de essentia Spasmorum est, percipimus; Quam *distensionem* potius, ab aliqua materia, infarctu quodam ibi impacta deducendam iudicamus. Quod confirmat, vel immediate coniuncta, vel ad minimum familiariter immediate præcedens, *alvi* non magis nuda constipatio, quam ipsorum quoque scybalorum *siccitas*.

Pos-

Possent huc etiam reduci *Sphincterum ani* & *vesicæ* pertinaces interdum spasmi; sed cum minus in se, sed ex solo effectu conspicui sint (nisi quod *ani* spasmus familiariter ipsos adeo *tubulos clysticos* excludat) non placet prolixiùs illis immorari.

Spasmos *orificii uteri*, quos in *partus difficultate* sibi repræsentant theoretici, nec ipsos adeo facile nobis concipim9: Certi videlicet, & experientia multiplici confirmati, longe pl9 communiter ibi peccare imprudens judicium & regimen; imo ineptissimum imperium, stupidarum atque stolidarum *obstetricum*, aliarumque fœminarum, Gallicum palpum nominis sapientium fœminarum (sage femme,) quamuis linguam hanc non didicerint, affectantium, & *præmaturè* fœminam *eniti compellentium* & urgentium, quam verum talem spasticum uteri ipsius motum vel renisum.

Unius adhuc appellationis mentionem injicere placet, illius nempe, quam *Paracelsus* hinc inde, (uti sæpius solet, nescias somnians, an divinans,) dictis suis immiscet, *Spasmum fixum* vocat. Arguit autem hoc nomine, interdum *podagricos* & *arthriticos* affectus; Interdum *Contracturas*, imò nisi memoria me fallit (ad evolutionem enim tempus non suppetit, & vix sit operæ pretium) ipsam *apoplexiam, ariduram &c.* Apparet aliquid hic vidisse, vel sensisse, (quod ipsi valde familiare erat, sed non perspectis universis circumstantiis:) Imo verò dicamus illum etiam propterea non nisi strictim & obiter harum suarum cogitationum mentionem facere voluisse.

Sano certe sensu, atque justa interpretatione, non absolutè aberrasse videtur; Sicut enim de *Podagra, Chiragra, Gonagra*, rectissime dicitur, quod præcipua illarum energia, omni modo consistat in *spasticis* talibus tremulis tractionibus; quæ partim *intimiores*, & singulares musculorum *fibrillas* agitant & afficiunt, lento, *pertinaci*, diuturno motu: Partim, quod supra monuimus, tandem planè manifesto in stricte dictum *rigorem spasticum*, per plures dies jugiter continuantem,

 ob-

obfirmantur: Ita de *Apoplexia*, non frivola aut levis nobis merito est suspicio, quod multi ad minimum, moriantur pro Apoplecticis, quibus magis consummatum repentinum *Asthma convulsivum* hanc mortem pepererit, spasmo pectoris repentè destituens respirationis potestatem, adeoque patientes morti tradens. Imò nec in *Ariduris* omnis similitudo successivæ *spasticæ* contractionis deficit. Licet enim membrum moveri utique possit sine *spastico* aliquo sensibili renisu: Non abludunt tamen circumstantiæ, quin fibrillarum successiva lentissima *corrugatione* tractoria, *densatio* illa magis magisque formetur, qua commeatus humorum, suffercientium æque, atque turgidè emollientium excluditur. Unde notabile est, quod *aridura* satis familiariter sequantur *dolores* vehementissimos, vel etiam intempestivos abusus remediorum *acriorum nervinorum*. Unde rectè *Paracelsus* idem, immaturum & nimium usum *gummi resinarum* acriorum, in vulneribus emplasticè adhibitarum, talis efficaciæ arguit, & hoc nomine rectè ab usu illarum, tunc temporis, dehortatur.

Majore fortasfis evidentia *Contracturas* spasmorum talium *fixorum* nomine insignire liceret; nisi subinde aliquid *nodosum* circa articulationes cum ipsis coniunctum, receptam interpretationem *tophaceæ* concretionis, in medium adduceret, adeoque veritatem *spasticæ* alicuius efficaciæ hic versantis, gravaret. Interim si attendamus, quomodo reverà hi ipsi *nodi*, primitus, communiter & evidentissime, nihil aliud sint, quam veræ *spasticæ* tractiones partium tendinosarum, quibus illæ primò ita pertinacissimè *corrugantur*, imò *constipantur*, ut posteà in hoc statu arctius inter se *densatæ rigidam* illam duritiem servent, & sicut sine dolore extendi non possunt, ita evitato omnis extensionis conamine, successivè in illo situ reverà magis, quam flexilitatem tendinosam decebat, *siccescant*. Quandoquidem non nisi *spasticos* esse hos *nodos spontanea* illorum *dissolutio*, una cum conditione subiecti, nempe *tendinis*, qui *humoralem infarctum* & tumorem absolu-

te

tè aspernatur, satis testatum reddunt; Propterea minimè absurdè, si non tota essentia, ac universa duratio, vera tamen *initia* atque primum *fundamentum* contracturarum, *Spasmo* verisimillimè tribuuntur.

CAPUT III.

De Spasmodicorum affectuum Causis.

NOn placet *Logicè* aut *Metaphysicè* argutari, in tradenda & evolvenda *Causarum* serie; quatenus, & quo ordine, ad nostros affectus constituendos, absolute concurrant; unde v. g. non disputabimus, quo sensu *Contractio* seu *rigida* tractio, possit dici Spasmi *Causa immediata & proxima*; *efficienter*, *instrumentaliter*, an potius *formaliter*, ut nempe hæc *tractio* ipsa sit Spasmus; sed percensebimus tantum illos causarum ordines & respectus, qui magis manifestò, quælibet in suo ordine, nobis hic occurrunt.

Cum videlicet *Spasmus* sit *motus*, & quidem partium, quæ regulariter & *ordinariè* motu affectæ sunt, imò verò non sit absolutè *novus* quidam motus, sed solùm, motûs in talibus partibus ordinariè agentis, excessivum *incrementum*: Jure meritoque oritur hinc quæstio, an illa causa *efficiens*, sive illud *Agens*, quod motum in gradu suo ordinario producit, nunc etiam agat, i. e. *auctiorem*, excessivum hunc motus gradum, pariter præstet? An verò planè aliud novum quodcunque *Agens*, motum hunc novum *extraordinarium*, parti positivè incutiat, & vel totum, cessante interim *ordinario agente*, perpetret atque præstet; vel ordinario motui, adhuc *unum* novum *superaddendo*, ingens illud, quin excessivum incrementum, producat. Nos, sine supervacuis ambagibus, tuemur *primam* ex his sententiam.

Causam *materialem*, supponunt alii, & quidem imprimis

Veteres, & quotquot illorum vestigia hodieque seqvuntur, (quo nomine speciatim censendus venit *Gvilhelmus ten Rhyne, de Arthritide, & acupunctura Japonensium*,) Ita stricto sensu *continentem*, ut non magis *materiam*, quam totum *effectum*, præbeat; Dum videlicet illam sibi præfigurarunt, tanquam *flatulentam* seu *Flatum*. Ex *Recentioribus*, multi idem agunt, quamvis paulisper diverso modo. Arcessunt nempè contractionem illam rigidam, similiter à *tensione*, imò *distensione sangvinis*; qui propter aliquam *obstructionem*, per fibras partis, (quos in hunc usum *cavas* esse supponunt:) cum progredi non possit, fibras has cavas ita *distendat*, ut illæ, hac distensione in latitudinem, *abbrevientur* in longitudine. Cui rei adhibent axioma mechanicum: *Quod linea longa, incurvata fiat brevior:* (quod tamen nos de *longâ* qua tali, seu longitudine absolutâ, nunquam conceperimus:) Neque etiam de *distensione* simpliciter in amplitudinem, cavitatum *tubulosarum*, ulla datur applicatio, quod illic fiat incurvatio *longitudinis*, adeoq; *abbreviatio*, & consequenter tractio secundùm *longitudinem*.

Neutri verò harum præfigurationum, adstipulari nos sinit, circumstantia illa Spasmorum, præ omnibus aliis motibus hoc evidenter exerentium, vt nullam musculi affecti *inflationem*, sed puram & absolutam *condensationem* atque compressionem, exhibeant; adeoque præcipuo, & necessario conspicuo hoc effectu, sive *flatulenti* sive humidi, *infarctus*, destituantur.

Alii ex Recentioribus, accusant *acrimoniam*, quæ non *physice*, sed, quicquid etiam reluctentur atque protestentur, *moraliter* agat, *vellicando* nempe, adeoque *irritando* (uti certè prudentissimè omnium in hoc genere sibi præfiguravit *Helmontius*) *in indignationem, iracundiam, furorem*, incitet motores Spiritus, ut illi tam violenter agant. Sed ut nihil de difficultatibus hunc modum agendi prementibus dicamus, dissvadet nobis assensū, odiosa illa præsupponenda acrimoniæ talis *specificatio*; cum manifestissimæ acrimoniæ *scabiosæ*, *pruriginosæ*, *ul-*

ulcerosæ, rodentes, ardentes, urentes, dolentes, nihil certi atque manifesti *Spasmi* producant; quod non solùm facere deberent, dum *irritant:* Sed tanto magis secundum varias species & *gradus* irritationis, tanto *fortius* atque vehementius facere deberent, quò magis irritant. Quorum cum nihil ita se habeat, hanc etiam immediatam materiæ talis activitatem, ad motum hunc directè provocandum, recipere & calculo nostro approbare, non possumus.

Agnoscimus nos potius pro causa *materiali*, generaliore, *abundantiam sangvinis*, & statum, *spongiosum* corporis, talem nempe, in quo sangvis copiosus in musculorum *poris ac meatibus* continetur ac incedit, *vasa* verò habet admodum *angusta* & exilia. Eiusmodi constitutioni familiarem esse *spasmum*, cum confirmet atque commonstret veritatis testimonium *à posteriori*, suppetit sanè etiam causalis nexus atque habitus *à priori*, quatenus ad præstandum *progressum* sangvinis per partes porosas *ordinarium*, *Motus Tonicus* ordinarius inservit; Ita pro juvando & expediendo hoc progressu, quando, in abundante *extra ordinem* sangvinis copia, impeditius succedit, tanto magis *extrà ordinem* intendi debere hunc motum, mechanicæ proportionis consequentia est. At verò non solùm in *extraordinario*, sed interdum etiam *impedito* ac *laborioso* actu, faciliorem esse exacerbationem exquisita *proportione majorem*, quotidiana experientia in omnibus actibus, non solùm *corporalibus*, sed etiam *rationalibus*, evidentissimè docet.

Imò vero, quando non jam amplius *nuda* subest progressus sanguinis per abundantiam laborantis, *auctiore motu* expediendi, *necessitas*, sed omnino totius quantitatis, ita prægravantis, *imminutio* & exoneratio intenditur: quæ perpetrari non magis *solet*, quam aliter *non potest*, nisi per *compressorios* tales motus, quibus humor ad unum aliquem *certum* locum, è vicinia, constringatur, ut ibi *eruptionem* assequatur. Ibi, in tali, inquam, casu, ut a *priori* spasticis talibꝰ tractionibus eximius est locus, nempe evidens aptitudo ad effectus tales per-

pe-

petrandos: ita suffragatur huic rei, quod nempe reverà sic etiam fiat *à posteriori*, ipsa Experientia, dum *Spasmi* illis imprimis familiares sunt, quibus depletiones sive expressiones tales sanguinis, vel fieri consveverunt, vel ut fierent, *conveniunt* atque quadrant: Adeoque spastici hi motus propriè, tanquam *molimina* ad ejusmodi effectum tendentia, per omnem rationalem considerationem haberi merentur.

Sicut autem in omnibus *motibus*, longè maxima vis est *Consvetudinis*, ut nimirum primò quidem propter certam aliquam materiam, & *proportione*, materiæ illi sic satis *quadrante*, suscipiantur. Quo *sæpius* autem exerciti sunt, eo major *activitas* moventis, seu promtitudo ad *præstandum* motum, & *agilitas* instrumentorum, ad facilè & expeditè *suscipiendum* motum, subnascatur: Ita in aprico prorsus posita videtur vera ratio, cur *Consuetudine* i. e. & *promptitudine* ad agendum, & *facilitate* in agendo, magis magisque tanta inducatur agendi *levitas*, ut nulla jam amplius adeo insignis *mechanica corporea proportio* requiratur, ad motus ejusmodi suscitandos: sed longe leniori atque *leviori* provocationi, *frivole* quasi, respondeat & contra assurgat, illa *movendi*, ex *multiplici* exercitio, adscita veluti *protervia*, adeoque leviores etiam causas *materiales*, imò solas *intentiones* patheticas exacerbatas, *temeraria* provolatio ad motus, insequatur.

Neque vero ullo modo silentio præteriri potest, tam *erronea*, in *dirigendis* motibus ad certum atque ordinatum finem, efficacia, quam semel suscepta, per *operosos* motus finem aliquem assequendi, firma *intentione obstinata*, deinde *continuandi*, & ad scopum illum connitendi, *pertinacia*. Quibus circumstantiis, (quæ corporis *humani* œconomiæ, præ omnib9 *brutis*, imprimis maximè familiaria sunt,) numerosa exempla ab æquali & magis *purè mechanica*, minus autem, vel minimè arbitraria *proportione*, deflectentis directionis, verè atquè unicè innituntur.

Unde quidem & *ferociores* illi, & *ultimi*, licet frequentissime

me *irriti* conatus, molimina inquam vehementiora, *Tetani*, *Emprosthotoni*, *Opisthotoni*, natales suos debent ejusmodi pertinaci nisui atque intentioni excernendi, imô *exprimendi*; & quidem ultimâ *vi*, ac velut in unum *collectis viribus*: Quando per vias magis *ordinarias*, & motus *modestiores*, *ordinario* gradui propiores, instans periculum depelli atque superari non potest.

Reverà enim *Convulsiones* (exceptis *Epilepticis* magis purè assvefactis) nunquam cooriuntur, quin verus aliquis *labor*, & justa *cura* ac sollicitudo per *Motus Tonicos* secretorios, & excretorios, aliquid e corpore excutiendi, atque excernendi, evidenter præstò sit. Dilucescit hoc autem tanto magis in illis *Convulsionibus*, quæ inevitabilem *mortem* præcurrunt: De quibus *duplex* est assertio; altera *Medicorum*: Quod *paucissimi homines moriantur citra Convulsiones*: Altera *plebis*, quâ convulsiones tales in *mortem* desinentes exprimunt illa loquendi formula: **Es sey dem Krancken zum Tod angekommen.**

Ubi totius rei fundamentum in eo versatur, quod *tentatis* hactenus variis viis atque methodis, magis *ordinariarum* atque proportionatarum excretionum, sed *irrito* successu; tandem *unum* quod superest, *fortissima* & violenta, tàm propellendi, quam exprimendi, methodus, *ultimo* loco suscipiatur. Quæ si pariter non sufficiat, ad coërcendam aut expellendam noxiam materiam: Tandem ita, tentatis omnibus viribus & nullo penitùs superstite præsidio vel subsidio, rectè atque ordine, & justissimè, ab omni ulteriore continuatione irritorum conaminum, desistatur.

Sicut autem *generalis*, & magis *directa* seu velut *essentialis* causa *materialis Spasmos* concitans atque provocans, est, imprimis, *sanguis quantitate*, quin etiam *qualitate* (spissiore consistentia) laborans; Ita *specialior*, & in hoc genere magis *accidentalis* hujusmodi causa, sunt variæ aliæ res: Imò i-

pſo toto genere p. n. ut *vermes*, *calculi*, *globuli*, *&c.*

Ita enim à *Vermibus*, in inteſtinis, æque ac aliis corporis locis, *ſpaſticos*, imò *convulſivos* affectus & affectus ſuboriri, ex hiſtoria & obſervationibus practicis, multis exemplis diluceſcit. A *calculo* verò, cruris in affecto latere, aut femoris ad minimum, *ſpaſmos* cooriri, veluti quotidianum quiddam eſt. A *globulis ſclopetariis* ſimilia nota ſunt incommoda.

Sic etiam ab ejusmodi læſionibus partium muſculoſarum aut tendinoſarum, quæ cum inſigni *terrore* fiunt, *ſpaſticos*, imò ſubinde *Convulſivos* effectus ſequi, vix quemquam latet. Unde cum primis à *morſibus* animalium, imò à gravi *lapſu* & alliſione, contorſione, contuſione partium tendinoſarum aut ligamentoſarum, *ſpaſticos*, imo *Convulſivos* effectus ſubnaſci, familiaribus exemplis innoteſcit.

Imò vero, cujus, niſi *ſpaſticæ* indolis, ſunt illi *dolores*, qui membris externa violentia graviùs afflictis, impoſterum veluti ſolenniter eveniunt, quoties *tempeſtatis* aliqua inſignis mutatio, non tam ſeſe iam plane caſtro ſenſui ſiſtit, quam ſolum ingruit: quod noſtrates appellant: einen Calender in den Gliedern haben.

Tanto major autem eſt efficacia *Conſvetudinis*; Ut videlicet in corporibus, *ſpaſtico* motui jam plurimum aſſuetis, impoſterum ſpaſmi ſæpè moleſtiſſimi, ſequantur vel nudum ejus membri ſitum tenerè diſtortum, compreſſionem aliquam fortiorem ligaturam ſtrictiorem &c. Adeò, ut quoties talis levis aberratio committitur, in promptu ſit *ſpaſmus*, præcipuè *ſimplex*. *Suſpecti* verò illi, ad *Convulſiones* proni, *animi* quoque *pathemata* promptè ſectantur, quando ſemel ita in *habitum* tranſiverunt.

CAPUT. V.

De

Erroneo atque in ſufficiente conatu & ſucceſſu Spaſmorum.

Si

SI quidquam eſt, quod *Pathologiam* ab omni tempore, in præſentem uſque diem, grauiſſime afflixit, implicatio illa eſt atque aberratio, qua *Motus* in corpore, *activè*, & ſub aliqua certa *intentione*, ſuſcepti, neque ſemper ita ſcitè atque exquiſite in effectum, ad & *finem usque*, deducuntur, ſicut inchoati & ſuſcepti ſunt; Neque ſtatim, ab initio ita curiosè, ſollicitè atque ſeriò inſtituuntur ſicut ad *proportionem* ſubſtratæ materiæ, & *dignitatem* totius propoſiti, ſi omnia ad *rationem ſolidiſſime ſibi conſtantem*, exigantur, quadrent.

Omnium enim prima, & non ſolum trita, ſed ſane detrita eſt illa dubitatio ſeu objectio: Si actus tales propter certum *finem*, corporis conſervationi deſtinatum ac intentum fiunt, atque perpetrantur; adde ex hypotheſi, medicis à longó tempore receptà, intentione atque directione animæ *humanæ*, (quam ab actu ſuo eminente, ſpecifico, *rationalem* dicunt) adminiſtrantur atque perpetrantur, non deberet, imò non poſſet fieri, ut media ad obtinendum finem, aliter adhiberentur atque inſtruerentur, quam fini illi obtinendo *vere* atque *recte* conveniret. Quandoquidem *agens* propter finem, non ſolùm in genere, finis illius *gnarum* eſſe debet; ſed etiam media, ad illum finem tendentia, *rectè* cognoviſſe; quod tantò magis valere debet, de tali agente, quod directa & confeſſa, ut vocant, ſua indole atque efficacia, *ſcire* atque *intelligere*, adeoque nihil, niſi *ſcitè* & exactà *inventionis* cum *intentione* conſpiratione, agere poteſt, ſi præcipuum & ſpecificum ſuum attributum, *rationalitatem* tueri debet.

Placet autem hoc, tanquam οἰκείῳ, loco, hujus argumenti levitatem breviſſimè monſtrare, & totum ſpecioſæ hujus dubitationis nervum, ſuccidere, nimis quam ſolida illa diſtinctione, inter *rationem humanam*, exquiſite, & ſecundum *ſtrictam* acceptionem vocis, *perfectam*, & talem, qualis *in ſtatu ſuo corrupto exiſtit*.

Cum enim in eo ſtatu, non quo eſſe debebat, ſed quo

post lapsum est etiam in illis rebus, quae *absolutum* ejus objectum constituunt, prompta præfiguratione seu fictione facillimè *reformandis*, nihilominus perpetuis cespitationibus atque defectibus obnoxia sit; quantò minus mirum esse debet, quod in illis rebus aliquando aberret in quibus non nudis atq; arbitrariis *fictionibus*, sibi succurrere aut consulere potest; Sed consilium ex re sumere, intentionem, inventionem, & totam agendi proportionem, *corporalium rerum necessitati* applicare obstricta est.

Ubi quidem illa, quæ multas adeò torquet, (sed sanê præposterâ acceptione) *libertas agendi*, i. e. *voluntatis* semper affectata & obstinata *libertas* illud unicum est, quod in *humano* corpore *rectè movendo*, præcipuas turbas dare sentitur. Siquidem omnes ejusmodi errores, si rem rectè æstimemus, his duobus fundamentis innituntur: I. quod res, quibus actiones suas, juxta *necessitatem* corporeæ proportionis, accommodare debebat, non rectè *intelligat, consideret, perpendat*, sed *temerè* subsumat & concludat. II. quod sæpè etiam nihil rectum atque justum, cum *corporali proportione* rerum conveniens, VELIT. Quod vel exinde manifestum evadit, quod actiones ritè *susceptas*, debita constantia non *prosequatur*; sed titubet, & inter agendum atque cessandum veluti ac detur: Omnium autem manifestissimè, quod nudis *animi*, ut vocant, *pathematibus*, i. e. repente concitatis turbulentis, insufficienter comparatis seu consideratis, *intentionibus*, *Voluntatem*, circà res corporeas, *immutabiles*, versandi atque agendi frivolè subiiciat: i. e. non secundum restrictam illam, *necessitati* alicui reali alligatam, & huic justè & rationaliter convenientem, *proportionem* agere *velit*, sed secundum sibi proprias rationis ratiocinantis, seu promptè & *liberè*, abstractivè, ut vulgo vocant, fingentis intentiones & formatas ideas, obstinatè *velit*, *velit* inquam, actionem suam instruere & ad finem perducere. Qui sanè hujus *liberè agentis*, & non ex *necessitate* objectorum, sed ex levitate suarum fictionum, liberè agere *volentis* principii, perversi sunt effectus.

Ab

Ab hac hujus *agentis* principii indole potest, nisi nos omnia fallunt, longe probabilissimè deduci, non solum *generalis* illa facilitas, *vitales* actus, *corporeos*, inquam, *motus erroneè* pensitandi, & protervè atque obstinate, aliter, quam *materiæ necessitas* permittit, *volendi*: Hæc, inquam generalis deflexio atque aberratio *humanæ* Oeconomiæ planè peculiariter *præ universis animalibus* brutis, familiaris, imò verò propria. Sed exerit; imò exhibet sese etiam Veritas hujus rei, in tot particularibus atque *specialibus* exemplis. Quæ iterum ad duo genera superiora reduci possunt; nempe *habitum animi* seu *morum* patienti solenniter & *constanter* consuetorum; & *animi pathematum*, ex *improviso* concitatorum. Siquidem in praxi certissimum, & quotidianæ observationi obvium est illud, quod de *morum animi*, & *motuum vitalium*, præcipue in rebus *trepidis*, exactissime servata similitudine, partim alibi passim, partim, & præcipuè quidem, in explicatione usus & efficaciæ *Temperamentorum in physiognomia*, indigitavit D. D. Præses.

Exempla ita hic occurrunt multiplicia, ut abundantia potius fastidium, quam penuria curam, injiciat. Ab hac enim sola utique causa, proficiscitur illa, (in *infantibus* usque, animi atque morum sequiorum, aut segniorum,) anomalia, ut in talibus affectibus, ubi materia valde periculosæ efficaciæ, valde *circumspectis* atque *placidis* motibus, restrictivis, ad *certam* partem, *dirigi* & remoueri, ab aliis verò partibus, *abigi* atque dimoveri debebat; Quod inquam, sub talibus concurrentibus, malè sibi invicem constantibus atque respondentibus, *mouendi*, & *moventis* proportionibus, nihil nisi anomalæ *turbæ*, *conamina*, *tentamina*, perperam suscipiantur. Unde v. g. in *Variolis*, infantes alias placidos atque tranquillos, placidè ac tranquillè, toto morbi decursu defungi videmus; imò vel maxime ipso illo casu, ubi quibuscunque *corporeis impedimentis* obsistentibus, natura succumbere cogitur, & ad mortem; Nedum ubi ad vitam, *salubriter*, evenit morbi exitus. E contra *timidis* facilè *iracundis* vehementer & pertinaciter,

gravia eveniunt, violentorum & impatientium motuum, intempestiva molimina, & tumultuaria conamina: Et hoc quidem ita *ordinariè*, vt subjectis ita constitutis, talia *non* accidere rarius sit, quam certo accidere.

Quadrat hoc specialius exemplum, tanto magis ad præsentem nostram rem, ubi *Spasmos*, ut motum communiter *erroneum* declarare necesse habemus; cum in omnibus etiam hujusmodi *specialibus* casibus, *error* ex *morum* seu *voluntatis* vitio, unice recidat in *motus*, & quidem communissime *exacerbatos*, *Spasticos* & *Convulsivos*.

Interim, & ut utique *rationalitas*, & *propter finem* agendi potentia, in hoc agente, de quo hic sermo est, tantò melius agnoscatur; statuminanda omninò etiam hoc ipso loco est illa, alibi quoque à D. D. Præside notata veritas, quod *erronei* tales conatus, absolutè nunquam, *toto genere* sint *irrationales*, & *pure* erronei; Sed potius *genere*, (generali non solum *intentione*, sed etiam actu sive *inuentione*,) omninò *rationaliter* conuenientes.

Quandoquidem conamina atque tentamina sunt, ad *excretionem* rei, sive *quantitate*, sive *qualitate* non tolerandæ; *in genere* quidem, & justè destinata, & satis efficacia: Sed *in genere* tantum, deficiente interim, & aberrante *speciali* proportione, *quantitatis*, *qualitatis*, *organi* eligendi, *mensura* determinandæ, quæ *præsenti*, *huic*, speciali, imò *singulari*, materiæ morbidæ, *specialissimè* quadrent.

Sunt omninò *Spasmi* nostri, universæ hujus rei eximium (ne dicamus *unicum* generalissimum, pauca impediunt) exemplar. Hos enim nunquam *oriri*, nisi vel *pathetica* aliqua vel *materiali* quadam proportione quoque *justa*, *impulsiva*, ut vocant, causa, subsit, absolutè in nos recipimus. *Oriri*, diximus; ut videlicet posthac factæ *assuefactionis* exceptio, omni meritissimo jure in propriam suam tribum facessat.

Quamvis autem hac ratione *generalem rationalitatem*, *Spasmis* meritò asseramus; *specialem* tamen eodem jure ipsis dene-

denegamus; Ad minimum communissime: Et præcipuè *acerbioribus* illis, *universalioribus*, aut in *particulari* aliquo loco *pertinacissimis*.

Confirmat autem Theoreticam hujus rei Veritatem, tanto magis consideratio illorum *hominum*, quibus Spasmi familiariter eveniunt, qui sunt *Sanguinei*, & in aliis *mixturis* temperamentorum, sanguinei *prædominium* præ se ferentes.

De horum enim ad paulo operosiora negotia *promptè* suscipienda, cum *industria* prosequenda, & connitendo ad paulò *impeditiorem exitum* deducenda, *difficilibus*, *tergiversantibus*, *impatientibus*, *immoderatis*, *præcipitibus*, moribus, cum pluribus actum sit in Dissertatione de *Temperamentis*, eorumque usu *physiognomico*, non placet hic rem repetere.

Unde quidem hoc caput ita concludimus, ut *Spasmos* motus esse stricta *specie* erroneos, ipsimet declaremus; *Genere* vero & generali mutua proportione, talis motus ad talem materiam, nihil profecto minus sunt, quam *erronei*, sed justi prorsus, & generali ad minimum *fini* rectissimè convenientes: Adeoque, quod præcipuum esse debet illatum, minimè omnino *Passivi*, sed omni modo *Activi*: *Passionem* vero aberrationis, *moralem*, non à *posteriori* à *materiæ* vitio, sed à *priori*, ab ipsius *agentis* intentione falsâ habentes.

CAPUT V.

De

Therapia & cura Spasmorum.

QUantam considerationem mereantur mutui illi respectus, quibus *motus* certi, à *materiis* certis, dependent, innotescere facilè potest ex eo, quod, si *materiæ* tales *motibus* talibus reverà ansam præbent, *præposterum* omninò futurum sit, effectum

sub-

ſublatum velle cauſâ libertati ſuæ relicta & neglecta. Quamvis enim hac ratione, fortaſſis *in præſens* aliqua ſuppreſſio, ſæpius vero magis nuda *diſſimulatio* præſentanei effectus, forte obtineretur; Ceſſante tamen efficacia remedii cohibentis, à *cauſa* ſibi relicta, eundem, aut ſimilem ſane *effectum*, iterum, vel denuo, expectandum eſſe, ſanæ rationi evidens exiſtit.

Valet autem hoc tantò magis in ejusmodi *motibus*, qui non tam â *phyſica* efficacia ipſius materiæ producuntur, ſed potius intentione aliqua, *contra illam* materiam directa, inſtituuntur atque diriguntur: Adeoque *utili* (in genere ad minimum) intentione, adverſus incommodam, imo interdum noxiam materiam inſtituti, non niſi *inutiliter*, imò periculoſe *reprimuntur*, ſi illud incommodum, cui opponi debent, non ſublatum ſit.

Interim ſatis evidens etiam utique eſt, quod harum rerum nulla apta, & indoli veræ negotii quadrans, conciliatio aut comparatio adhiberi poſſit, quamdiu non ſatis cognitus aut agnitus eſt ille *nexus* inter ejusmodi *materias* & *motus*; Vel ad minimum conſtitutionis certæ *materiæ*, ad producendum certum *motum*. Unde, licet vel maximè agnoſcatur efficacia materiæ pro motu producendo, incognito tamen, aut aliter effićto *agendi* atque producendi *modo*, perit iterum omnis vera, ſolida, & rei conveniens *methodus ſubveniendi*, adeoque ſperato eventu excidit imaginaria cura. Ne nimis prolixi ſimus in arguendis quamvis communiſſimis, aberrationibus, rem potius ediſſeremus, nimirum, quod *motibus ſpaſticis*, vel occurri poſſit (1) *præſervativè*, & maximè quidem, ſolidiſſimè, imminuta & *ſubtracta materia*, *propter* quam inſtituuntur: (2) ut vocant *curativè*, à poſteriori, cohibito magis immediate ipſo motu.

Primum quod concernit, perpetratur hoc præcipue ſinceris *Evacuationibus* humoris, qui hiſce motibus anſam ſuppeditat, nempe *ſanguinis*. Et juſta ejus, *ſpiſſioris attenuatione*.

Habent hic utilitatem eximiam *Venæſectiones, juſto tempo-*

re

re & *quantitate*, institutæ: In justo etiam *loco*, tam *parti* affectæ, quam *ætati* patientis, respondente: Quamvis aliquid hic etiam dandum sit prægressæ seu adscitæ *consvetudini*.

Subvenit his iisdem anomalizantibus motibus, etiam, *Scarificatio*; Etquidem tum *in genere*, in ejusmodi personis, quib9 per corporis & vasorum constitutionem *Venæsectiones*, paulo difficilius administrantur: Tum *in specie* spasticis motibus, expresse, circa hæc loca sese exerentibus, & ab ipsa prægressa assvefactione *Scarificationis*, postea neglecta, coortis. Cujus rei exemplar exhibetur *Diss. de Motu Tonico*, in Historia Viri honoratioris, Quedlinburgi t. t. viuentis.

Specialiori intentioni, circa *Hæmorrhoidalia*, aut alia talia loca, ad quæ neq; *Venæsectioni*, neq; *Scarificationibus*, satis patet liber aditus, inserviunt *Hirudines*. De quarum efficacia, in hujusmodi *spasticis* pathematibus *Hypochondriacis*, *Ischiaticis*, imo *Podagricis*, observationes sive Historiæ illæ Practicæ, quæ ex Autoribus minimè suspectæ fidei, Diss. *de Sangvisug. usu*, adductæ, sunt consideratione, imò imitatione prudenti, longe dignissimæ.

Conducit etiam huic *præservativæ*, sive causarum antecedentium remotivæ, intentioni, Evacuatio aliorum, secretionẽ & excretionem etiam *specialiorem* promerentium, humorum, tam ad *ulcerosam* acrimoniam aptorum; quam mucida quadam *tenacitate*, stases, tandem tamen in *ulcerationem* exituras formantium. Exemplo sunt, tam *Spastica* talia Pathemata, quæ a retropulso *Erysipelate*, retropulsis *scabiosis*, *apostaticis*, *apostematicis* collectionibus, ortum ducunt: Quam *venerei* tales, tenaces, *nodosi*, *gummatosi*, ut vocant, tumores & infarctus: Quibus omnibus, varii tensivi, gravativi, vibrativi, tales *spastici* motus supervenire consueverunt.

Has materias resolvere, & vel immediate è toto corpore, vel mediate, primum ex illo quem occupaverunt loco, evacuare seu dissipare, præcipuus & fundamentalis est scopus, cui recte obtento, exacerbatio illa obediat atque cedat.

Quamvis autem hujusmodi Medicationis species, è propriis locis, illorum videlicet morborum, a quibus originem ducunt

tales ſpaſmi, *peculiaribus* Therapiis petendæ ſunt; eſt tamen hoc loco, & in noſtram præſentem rem, illud utique monendum, quod omni modo illud fieri neceſſe ſit, i. e. in ſingulis ejusmodi affectibus, *materiæ* illius affectus, ut vocant, ſpecificæ ejusque collectioni ad certa loca, ubi *Spaſmos* concitat, Medicamentis illi quoque ſpeciei materiæ quadrantibus, ita contra occurrendum, ut malis hiſce conſequentiis poſt ſe ducendis, ſufficere non poſſit.

Merito vero in his etiam affectibus attenditur ſolida illa *diſtinctio* Practicorum, quam afferunt pro Therapia morborum *paroxyzantium*; Qui nempe proprie ſunt hujus cenſus, nempe *motuum* exacerbationibus proſapiam ſuam debentes. Diſtinguunt videlicet inter curationem, ſive methodum medendi, *in paroxyſmo*, vel *extra* eundem, adhibendam.

Valet omnino hæc diſtinctio, etiam de noſtro, Motuum ſtricte dictorum, *Spaſticorum* negotio; ut videlicet, quam maximè in his ipſis etiam alia methodus adhibenda eſſe intelligatur, *vigente* ipſa exacerbatione; Alia vero *ante* & *extra* exacerbationem, & potius ad illam ſolum *præoccupandam*.

Quo maximè ſenſu, antea etiam uſi ſumus illis loquendi at diſtinguendi formulis, quod *imminutiones* & evacuationes, *præſervativo* ſcopo commendatæ, inſtituendæ ſint *tempeſtive* nempe juſtis opportunitatibus, quibus Natura auſcultare, atque magis, quam promiſcue alio quolibet tempore, placari atque pacari notatur. Valet autem omnino hæc methodus præeipue atque eminenter in illis caſibus, ubi magis jam *aſſuefacta*, adeoque etiam à *levibus* materialib9 occaſionibus temere provocanda vel exacerbanda, adeſt erroneorum talium *Spaſticorum* motuum conditio, quam ubi iidem a multæ materiæ copia adhuc revera foventur.

Quod tamen minimè ita intelligendum, quaſi non in hac etiam conſtitutione, eximius omninò harum præoccupationum, ſeu præſervatoriæ ut vocant methodi, uſus eſſet & effectus. Multo minus, quaſi in poſtremo hoc caſu, ubi quidem *materia* malum evidentius incitat atque fovet,

non

non *extra* paroxyſmum, ſed forte *in paroxyſmo* magis, locum haberent. Nequaquam. Sed potius, ut ita breviter ac diſertè nos atque totam rem expediamus; Valet *præſervativa* illa evacuatoria præoccupatio *extra* Paroxyſmum, tam in malo *cum multa materia* colludente, quam ſine eadem: *In* ipſo verò etiam *paroxyſmo*, poteſt hiſce evacuationibus, efficacia, & illa quidem interdum inſignis, obtingere, ubi *multa* ſubeſt *materia*: Ubi verò *pauca*, ſed major *motuum* ſeorſim peccat protervia: Ibi *Evacuationes* tales, *in* ipſo *paroxyſmo*, non solùm abſolutè inanes ſunt; ſed etiam ſubinde aptæ atque natæ, ut in futurum magis abſolutè majori, & *protervia* ad incipiendum, & *contumaciæ* ad continuandam frivolum quaſi nudum motum, occaſionem præbeant.

Altera pars methodi, pro curandis *Spasmorum* Conaminibus, conſiſtit immediate in *Motus* ipſius medicatione. Quæ fit, partim per *generaliora, lenientia*, leniter *relaxantia, atque emollientia* &c. Quæ vulgo *Paregoricorum* appellatione notantur. Partim per remedia dicta *Specifica*.

Prioris quidem generis, *interna*, non ita parco numero ab Autoribus commendantur; Sed ſicut illa huc transſcribere non placet, ita melius fuerit, pauca ex ipſis nominaſſe. Sunt itaque de horum cenſu, non contemnenda, *Succinum*, modeſtè & ſine ſeparatione ſuæ ſubſtantiæ, uſurpatum; Vel ex præparatis ejus, *ſal* ipſius *volatile*: vel ita dictus *Liquor Cornu Cervi ſuccinatus*, à ſuperfluo ſale *urinoſo* liberatus; Quamvis utiq; miracula ab ipſo expectare, nemo in animum induxerit. Medicamenta etiam vegetabilia alia acriuſcula, quæ cæteroquin partim *Anticatarrhalia, Nervina* atque *Carminativa* æſtimantur, *temperata* tamen. Horum verò nihil commode, nedum efficaciter, uſurpabitur, ubicunque *materia abundaverit* priusquam illa ventiletur. Quod tanto magis ſane valet de *ſalibus volatilibus urinoſis*: Hæc etiam poſt ventilationes, non niſi *moderato* uſu tolerabilia ſunt. Melius autem omnino, ſi cum acri *Tinctura ſalis Tartari* remixta exhibeantur. Majoris efficaciæ, & quidem ad motus jam ſpecialius, ſive ut loquuntur ſpecifice moderandos, famoſa eſt *Cinabaris*. Nos quidem,

ab-

abſit,ut omne odium clamori triviorum contradicendi, in nos ſuſpiciamus; Illud tamen diſſimulare non poſſumus quod utique tantam illi efficaciam, ut etiam inter vera *ſpecifica* numerari mereatur, noſtro calculo confirmare, religioni ducamus. Sufficiat ipſum in præſenti claſſe nominaſſe & conſenſiſſe, ut rectè monet B. Ludovici, quod aliorum efficaciam ſui acceſſione acuere videatur, nempe *fungens vice cotis acutum reddere quæ ferrũ ſolet, exors ipſa ſecandi.* In valde ſenſibilibus, & hoc nomine *infantibus*, ad minium contemnenda non eſt; Tumida verò illa encomia moribus ſeculi danda ſunt.

Ne, dum ſcyllam vitare volumus, in charybdim incidamus, cavendum nobis eſt, ne laudes *Cinnabaris* trivales, in *Nitrum* transferamus; Quod licet nequaquam hoc ſit, odioſe pro noſtra creatura, ut vulgo loquuntur, argui poſſet, adeoque noſtra in ipſum indulgentia, accuſari. Erimus itaque brevisſimi, ſpondendo *prudenter experientibus* optatos effectus.

Diluentia quatenus materiam movendam contemperant, laborioſioribus motuum moliminibus præoccupandis inſerviunt.

Specifica antiſpaſtica, majore numero vulgo recenſentur, quam exiguum ſpatium quod nobis ſupereſt, ferat. Tanto minus autem operæ fuerit pretium, illa memorare, cum nobis experientia in hoc genere fauorem ſuum conſtantisſime deneget: In deprehendis, inquam, *ſpecificis* effectibus *ſolidis* & *conſtantibus* adverſus *ſimplicem verum ſpaſmum.*

Exacerbatos *fortiſſimos ſpaſticos*, (*Spaſmi* vocem accipiendo *generalius*) nempe *convulſivos* Motus, *ſpecificis* compeſcere revera facilius eſſe confirmat Experientia, quam *ſimplices* Spaſmos.

Annuli certe illi Antiſpaſtici, ex *ungula alcis, cornu rupicapræ, Mercurio congulato* &c. expectationi ſatis feciſſe nondum vidimus; Niſi quatenus aliquando non ut ex tali materia, ſed ſimpliciter ut *annuli*, & quidem *arctiores*, aliquid efficaciæ habuiſſe apparuerunt. *Ferreos*, è *catena patibuli*, fruſtra fuiſſe, quam ſæpisſime vidimus: Vidimus tamen etiam *ferreum* (ſed neſcias è quali ferro ſuperſtitioſis ad minimum veſtigiis notatum,) *Spaſmis* paroxyſmo febrili, in *plethorico* corpore ſociatis, præſentaneum effectum habuiſſe, quoties digito jungeretur: Dubium tamen propria magis, an firmisſime *imaginationis* in patiente, efficacia. Encomium dentis Hippopotami, ex *Taberna montani Hydrographia* (Waſſer-Schatz) excerptum, legere licet in Diſſert. *de Lapide Manati.* Sed proteſtantur ipſi exoticarum regionum ſcriptores, non promiſcue omnium dentium hanc eſſe efficaciam: Et fert ſuffragium Experientia.

Nos Tribus verbis ſententiam noſtram dicimus: Si quod ad manus eſt commendatæ efficaciæ *Specificum*, detur, ſub circumſtantiis memoratis.

Plura vetat tempus, chartæque anguſtia. TANTUM!